



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanae Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Quid praestiterit Societas pro Sacerdotibus, & alijs, ibidem

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

1587. Extant variæ literæ Eminētissimi Proteſtoris, quibus Reuerendum *Archipresbyterum* à se delectum profitetur: Ex duodecim vero Assistentibus priores sex ab eodem Proteſtore, posteriores ab ipſo *Archipresbytero* electi sunt. Quid vero refert qua occasione, quo modo, quoue informatore quiduis Pontifex iubeat? Iethro, homo Gentilis, consilium Moyſi dedit de Senioribus constituendis; Sara (vt humano iudicio videri potest) iracundior, Abrahamæ de eiſcienda Ancilla & filio eius suavit; vtrumque à Deo probatum est. Factum igitur in hoc genere Pontificis, quocunque demum conſultore vſus fuerit, factum potuit esse Dei; eoſque magis quòd ex peſſimè etiam factis, Dei factum occasione quadam exiſtere poſſit: Id quod in plurimis Dei actionibus accidere cernimus; multa enim permittit mala, vt inde peritiffimus artifex eliciat bona. Literas verò institutionis à *Personio* conſcriptas fuiſſe inſcio Cardinale; aut hunc illi facultatem dediſſe quod liberet ſcribendi, tum ſcripto appoſuiſſe manum & ſignum; aut denique à Cardinale prodidiſſe omnia Pontifice non conſulto, Quis niſi amore proprio cæcus affirmet, aut de viris non omnino imprudentibus in re tanta vel ſomniaret quidem.

societas
nullam v-
ſurpat au-
thoritatem
in Clerum.

X X. Iam verò quod ad auctoritatem attinet à Societate vſurpatam in reliquum Clerum, vel per hos ad dignitates euectos quaſitam, longè id abest ab eorum propoſito qui ſe non Prælatos ſed Adiutores eſſe totius Cleri profitentur, miſſos quemadmodum & reliqui Sacerdotes, in hanc Angliæ Meſſem, quod ad munia Sacerdotalia in ea exercenda pertinet non ſuperiores ſed pares. Itaque ſicut nihil nobis aſſumimus quod à ſede Apoſtolica non ſit conſeſſum, ita æquum eſt nihil remittamus ob cuiuſcumque æmulationem ex ſtudio & labore iuuandi & dirigendi animas; Atque ſi hoc ſit regere; dent veniam obſecro vt quantum pro virili poterimus regnemus. Sin autem nimiam eſſe Societatis auctoritatem exiſtimauerit quiſpiam, quòd nimis præclare de nobis Catholici ſentiant, erit illa proſecto exiſtimatio ſtimulus ad virtutes omnes, quarum lanè præmium quoddam eſt laus, & exiſtimatio; noſtris vero laudibus veræ cuiuſcumque laudes nunquã obſcurabuntur. Abſit à nobis vt à quoquã exigamus vt non cum virtute noſ diligat: Non id poſtulamus vt tolerantur vitia noſtra, vt impunè quẽquam lædamus, vt cum aliorum cõtemptu aut diligamur, aut honoremur, ſed vt quiſque noſ diligat vt fratres, nullus detrahat, nullus contra quẽquã excipiat quod ſit erga noſ rectè affectus, cum hunc in noſ affectum, tum commune Chriſtiani hominis officium, tum innumera à Societate proſecta beneficia iure optimo exigant. Nam vt taceam plurimorum Presbyterorum doctrinam & virtutem à Societate manaiſſe, Societas noſtra Romæ primam Collegio Duaceno, centum aureorum penſionem menſtruam à Gregorio decimo tertio impetrauit; quo nomine totum Collegium per publicas literas *Èuerardo Mercuriano*, tunc Præpoſito Generali, gratias egit; & recollit *Gregorius Martini* in Epiftola ad veterem amicum *Edmundum Campianum* his verbis. "Beatiſſimus Pater & Pontifex *Gregorius XIII.* centenis in menſe coronatis Collegium

Quid præ-
ſtiterit ſo-
cietas pro
ſacerdoti-
bus & alijs

Collegium nostrum Duacenum locupletauit, in prinis illo viro, mi Edmun- 1587.
 de, procurante qui vestri totius Ordinis Princeps & Praefectus cum sit, tantum 20, Decemb.
 pro nobis studio & pietate voluit contendere, quantum gratia & auctoritate 75.
 valuit obtinere; vt nos qui antea Societatem illam pari semper cum caeteris
 reuerentia pro suo sanctorum merito profecuti sumus, nunc beneficio quoque
 ab eadem affectu singulari, multo praeter caeteros amare, amplecti, venerari de-
 beamus) Societatis nostrae opera Collegij in vrbe redditus amplificati sunt, ip-
 sumque Collegium in hanc amplitudinem adductum. Societati nostrae accep-
 tum fert Seminarium Rhenense annuum a Rege Catholico bis mille aureo-
 rum pensionem: Tantundem Sanctimoniales Brigittenses Olyssipone: Socie-
 tatis in gentem nostram amorem & studium ostendunt tria ampla Seminaria,
 Vallisoletanum, Hispalense, Audomarense, nihilo Romano inferiora, ex qui-
 bus plurimi Sacerdotes in hanc Messem destinati sunt; plures cum Deo bono
 mittentur. Monumenta quadam perpetua sunt illius amoris quo Societas
 Iesu nationem Anglicanam profecutur varia per Belgium virginum Mona-
 steria; Exules Angli vbique ab Societate summo amore ac beneuolentia excep-
 ti. Quin ad ipsas trimes penetravit Societatis caritas, vnde non pauciores tre-
 centis Personij industria erepti sunt, e quibus quatuor & triginta Neapoli non
 libertate tantum, sed nauis quam amiserant, & bonis quibus spoliati fuerant
 donati sunt. In Anglia vero ipsa neminem latet quanta solitudine elemosi-
 nae olim pro Presbyteris regnum primum ingredientibus a Societate conqui-
 rebantur. Et licet alias necessitates non omnino neglexerit Societas (neque e-
 nim omnes per nos subleuari possunt, & publicae collectionis negotium, tan-
 quam Laicis, non nobis conueniens, penitus rejicimus) illam tamen Sacerdo-
 tum Nouitiorum curam ita sensit Societas onerosam vt teste Garnetto, intra
 annum vnum hoc nomine ducentas minimum libras nostrates insumperit.
 Quantum deinde studium nostrorum de Presbyteris certo in domicilio col-
 locandis: Et quam multi singulis pene in Prouincijs reperiuntur qui a nobis fu-
 ere commendati.

XXI. Quo de vtroque capite testem habemus amplissimum ipsum Do-
 minum Georgium Blackwellum, qui post viginti annos in Anglicana vinea
 excolenda expletos, huiusmodi turbarum indignitate commotus, haec ad Car-
 dinalem Protectorem manu propria conscripta transmisit. "Tantum ab-
 sunt illi pij Patres ab omni appetitu dominij, vt nobis in omni loco insignis hu-
 militatis, mansuetudinis, patientiae, pietatis, & caritatis exemplar praefor-
 marint. Valde certe ingrati essemus si non illos honore prosequeremur, vt Pa-
 tres; amore complecteremur, vt Amicos; officio coleremus, vt Beneficos; studio
 imitaremur, vt Magistros, pietatis affectu agnosceremus, vt Patre alitis, &
 Ecclesiae apud nos varijs tempestatibus iactatae praecipuos Adiutores & acerr-
 mos propugnatores. Qui illis detrahunt, nec illos nec seipsos norunt: Nam
 qui sunt apud nos qui aduenientibus Presbyteris ex transmarinis partibus auxilio
 sunt, nisi Patres Societatis Iesu Domo exclusi ab illis excipiuntur; indumento

Literę.
 Archipres-
 byteri, de
 societate.